

BONONIEN. EMPTIONIS.

21

Illustrissimi, & Excellentissimi Patres.



Die 20. Septembris Anni 1708. legitime in Obsonatorem Monasterii confirmato F. C. B. *Proc. fol. 33.*, ab ipsomet Monasterio fuerunt predicto Obsonatori consignatae diversis in partitis singula hebdomada pecuniae non solum sufficientes pro Cibariis necessariis emendis, verum etiam exuberanter *Proc. fol. 35.* Praelectis autem ab ipso Obsonatore pro Aromatariis DD. Ca. Ci., capit de Mense Martii 1709. Oleum, & alia Vistualia ab ipsis emere, processitque fuit in hujusmodi emptionibus usque ad Annum 1713. Pro primo vero Anno scilicet 1709. emit Oleum pro Summa Librarum 266. 19., & exburavit Lir. 399., & sic ultra praetium Aromatariis debitum Lir. 122. 1., pro Annis autem sequentibus a Ca. Ci. supponitur F. C. B. remansisse Debitorem pro Oleo non solum Lir. 514.; quas a Conventu nunc exigunt.

Ex hoc facto, adjuncta Religionis Constitutione Urbana tit. 2. de administrat. bon. S. 14., & 15. cujus verba sunt = *Depositarius Expensori ad necessaria providenda pecuniam tradet; decernitur autem, ut quotidiana, sive consuetae Conventus expensae, a Provinciali Capitulo, sive Capitulari Congregatione, pro unoquoque Conventu taxentur. Praeter has quotidianas expensas nihil penitus absque ejusdem Capituli Conventus licentia, Conventus Officiales pro necessariorum provisione expendere audeant. Quicquid igitur necesse fuerit ser. ser. ex pecuniis a Depositario sibi traditis Expensor provideat =* Ex hoc inquam facto, & Constitutione Urbana clare cognoscitur Religionem ad novam solutionem non nisi injuste condemnari posse; quin obstant Partis Adversae Fundamenta, quae ad id reducuntur.

Primo se fundat D. Exadversus in partita *Proc. fol. 43.* nempe pagate Lire &c. per Oglio dispensato alli PP. Libre &c., ex quibus verbis infert Olei emptionem, pecuniae exburfationi precessisse. Secundo in quadam Discordantia Librorum rationis Monasterii cum Libris C. C. probando potius istis, quam illis fidem adhibendam esse. Tertio ex Emptione Olei in Monasterii Usus ab Obsonatore inducti, nullo habito pretio ab Aromatariis, Obsonatorem habuisse a Monasterio mandatum ad emendum ad creditum, sive ut vulgo dicitur a *Credenza* infert. Quarto D. Exadversus nititur in eo, quod absolutè, & absque aliqua limitatione F. C. B. in Communitatis Obsonatorem fuerit nominatus, & electus, ex quo juncta hujus dictionis *Obsonator* significatione, affirmat non restrictivè, nempe cum Clausula, precedente temper pecunia manuali (ut a Communitate rectè supponitur) sed etiam ad Creditum, ex vi praedictae absolutae electionis F. C. B. emere potuisse, non obstante, quod in Monasterii Constitutionibus praedicta Clausula contineatur; nam hujus Constitutionis, utpotè legis particularis praetensi Creditores ignari creduntur, quod sufficiens est, ut per talem Monasterii Constitutionem Contractus non veniat annullandus. Quinto ait Monasterium pro Oleo ab Obsonatore ad Creditum empto, & non soluto actione de jussu conveniri posse, argumento l. *Quidam Fundum ff. de in rem verso asserit*. Sexto allegatur Usus, & Consuetudo aliarum Religionum, quarum Obsonatoribus permittitur ad Creditum emere, innuendo praedictum, quod Monasterio aliquando sequi potest, si ejus Expensor non aliter, quam pecunia manuali emere possit. Septimo Actione de in rem verso Monasterium teneri affirmat, ex eo, quod Oleum in ipsius Usus sit consumptum, argumento *Tex. in l. Quod si Servus ff. de in rem verso*. Octavo ita argumentatur, actione Furti pro pecuniis non solutis Obsonator Monasterio obligatus manet, igitur Monasterium ad novam solutionem tenetur,

2
tur, cum res furata Domino pereat. Nono D. Ex adverso allegat pro se Doctrinam *Castr. in l. 1. §. non autem ff. de exercit. actione*; scilicet venditorem Panni, pro vestiendis Fratribus empti, posse contra Monasterium agere, quamvis Abbas, seu quilibet alius Minister illud distraxerit, seu in Usus proprios converterit. Decimo ait Monasterium teneri ad Res alienum Monaci contrahentis, aut delinquentis sine ulla Monasterii scientia, utilitate, ac voluntate. *Abb. in cap. Quod quibusdam de fidejus.* Undecimo nititur in Doctrina generali asserente, Mandantem ad novam solutionem teneri, si Mandatarius pecunias dilapidaverit. *Gomez. lib. 2. var. cap. 7.* Ultimò scandalosas esse has Controversias inter Religiosos, & Seculares verbis honoris assertum invenio.

Non obstantibus omnibus his fundamentis, crederem absque minima dubitatione, Sententiam in favorem RR. PP. proferendam esse, nam ubi nulla adest obligatio, & exclusa remanet condemnatio:

Nullum enim fundamentum invenio, ratione cujus RR. PP. ad novam solutionem pro Oleo faciendam obligati maneant; Ex conventionione, aut contractu a Conventu facto conveniri non possunt, siquidem nullus præcessit; fuit enim F.C. B. in Obsonatorem deputatus secundum Monasterii Statuta, & non aliter, siquidem in ejus electione, & confirmatione nulla Regule derogatio invenitur; cumque per Constitutionem Urbanam supra relatum, Monasterii Obsonatori præcipiatur, ut cum pecuniis Depositarium traditis Conventui necessaria provideat, nulla Conventio, seu Contractus ex parte Monasterii cum præteritis Creditoribus præcessit, si bene consideretur Contractus definitio; RR. PP. non aliter cum Venditoribus contraxerunt, nisi pro ut in ipsum Constitutionibus ipsis præcipitur; idest ut immediatè pro Cibariis emptis, Tabernariis, mediante persona Obsonatoris pecunias exbursent.

Ex contractu Emptionis ad Creditum ab Obsonatore cum præteritis Creditoribus inito, nulla Monasterii obligatio resultat, siquidem RR. PP. singulis hebdomadis sufficientem pecuniæ quantitatem per Monasterii Depositarium Obsonatori assignarunt, ut de rebus victui necessariis Conventui provideret *Proc. fol. 43.*, ex quo colligo, Obsonatorem Oleum emendo, absque pecunia manuali contra Monasterii mentem, & ejus Constitutionem egisse; & idem Monasterio præjudicare non potuit, nam Religiosi contrahendo ultra mandatum ipsis datum, Conventui præjudicium non afferunt. *Rot. par. 12. rec. dec. 272.*, & *par. 15. decif. 227. num. 6.* cujus verba hic refero = *Abbas (ait Rota) alisque Ministri contrahendo Monasterio præjudicare non potuerunt* = nullus enim Religiosus, sive Abbas, sive Prior, sive quicumque alius, non interveniente consensu Capituli, contrahendo, Monasterium obligat. *Guazin. tract. de pace part. 2. quest. 23.*, *Bich. decif. 599.*, & in terminis præcisè Ministrorum, seu Officialium. *cap. 4. de Fidejus. Non teneatur (ait Innocentius Tertius) pro his aliquatenus respondere, ibique Glos. in verbo utilitatem*, quia ille Contractus ipso Jure nullus est. *Rot. rec. par. 15. dec. 42. num. 3.*, cum multis aliis. Videamus nunc an Obsonator Oleum ad Creditum emendo, voluntariè, & contra Monasterii mentem fuerit operatus? Tunc enim dicitur Ministerum voluntariè, & contra Monasterii mentem agere, dum contra ejusdem Statuta operatur. *Rot. rec. par. 12. dec. 272. num. 4.* quod in nostro casu evenit, nisi dicatur Constitutionem Urbanam superius relatum nullius esse roboris, & fundamenti. *Controvertatur igitur totum damnum in Vendentes, non autem in Monasterium, nam sic contrahendo Contractus a Ministro initus cujusque naturæ illi sit, ipso Jure est nullus. Serafin. dec. 781. num. 14. Bich. dec. 599. num. 7.*

Ratione delicti ab Obsonatore commissi Oleum non solvendo Monasterium Venditoribus non obligatur; Communitates enim pro delictis suorum Officialium conveniri nequeunt. *Ancaran. cons. 158. num. 11. cap. Præ venerabilis de except. cap. Delictum de reg. Jur. in 6. hoc que est regulare, & doctrina generalis in delicto cujuslibet Administratoris, seu Procuratoris, l. 1. §. Si Procurator ff. si quis Jus dicen. non obtemp.*

temp., quæ quidem doctrina a nobis in præfenti omittitur; nostrum autem asser-
tum corroboratur ex *Tex. in l. non est de Ad n. Tut.*, in qua habemus Tutores, &
Curatores, non autem Pupillos, seu Adultos condemnandos esse, si nomine eorum
operando malitiosè se gerant, ex quo Textu infero, Monasterium pro delicto Re-
ligiosi condemnari non posse, siquidem ut postea videbitur, Religio non minoribus
Privilegiis gaudet, quibus gaudent Pupilli; Undè quod romine Monasterii Obsona-
tor Oleum ad Creditum emerit, nihil Conventui officit; sufficit enim præ hujus
indemnitate, & securitate Ministrum ab omnibus probum, & idoneum eligere,
prout RR. PP. fecerunt. *Ægid. conf. 41.*

Si a præfentis Creditoribus Obsonatori præ Oleo emendo mutuæ fuissent pecuniæ,
Monasterium ipsis obligatum non mansisset, casu quo ab ipsomet Obsonatore illæ
dilapidarentur, prout omnibus manifestum est, *De Luca de Cred. disc. 82. num. 2.*,
*Rot. in Leodien. pecuniaria 22. Junii 1657. cor. Bevilaqua, & 5. Martii 1663. cor. Cer-
ro;* igitur neque præ Oleo ab ipsis Vendito, & ab Obsonatore non soluto Mona-
sterium obligatum manet, duplici enim de causa. In primis quia Religiosus sine
consensu Capituli contrahendo nihil damni Monasterio afferre potest. *Franc. dec. 105.
nu. 11. Bich. dec. 599. nu. 7.* Deindè quia nulla Contractus distinctio afferri debet, pari
enim passu currit mutuum, quoad hunc effectum cum quolibet alio Contractu sine
licentia Communitatis ab ejus individuo celebrato. *De Luca de regul. disc. 55. num.
14.*, ubi ita loquitur = *De materia mutui, vel alterius Debiti per Abbatem, vel alium
Superiorem, sive Procuratorem, aut Administratorem &c. idem de alien. disc. 20. num. 3.*
Idè præ mutuo absque Consensu Capituli Religioso factio Monasterium non tenetur,
ne in Ministrorum potestate sit, Communitates supplantare. *De Luca de Cred. disc.
82. num. 2.*, quod quidem evenire potest non tantum ex mutuo, verum etiam ex
quocumque alio Contractu; igitur si ubi eadem ratio militat, & eadem Juris dis-
positio militare debet, affirmetur, seclusa qualibet dubitatione, quod quemadmodum
Monasterium præfentis Creditoribus ex mutuo ab ipsis factio præ Oleo emen-
do, obligatum non maneat, *data Obsonatori* factio præ Oleo emen-
do, & non soluto obligatum maneat. Postquam Authores generalitèr asserunt
pro debito Religiosi, Religionem non teneri, immediatè adiungunt, hoc in mu-
tuo præsertim evenire. *Rot. rec. part. 14. dec. 42. num. 2.*, hoc autem verbum præ-
sertim non exclusivum, sed immò potius inclusivum est; undè quod dicitur de mu-
tuo, dicendum est & de quolibet alio Contractu.

Vellem, ut attentè legeretur *De Luca de regul. disc. 81.*, ubi defendit quemdam Ap-
paltatorem non teneri de culpa Subappaltatorum, quia dum ab ipso nominati fue-
runt, Viri probi communiter reputabantur, quamvis tractu temporis negligente
Camera ab ipsis rationem exigere, interim minus idonei facti fuerint. Minus pro-
babilem (ait ille) hujusmodi præfensionem, esse um ita esset inferre damnum
Innocenti in beneficium culposi, si Camera singulis Annis rationem ab eis exigisset,
Subappaltatores melius in eorum Administratione gessissent, & idè Appaltator
de eorum culpa non tenetur: similiter in nostro casu, si Creditores tempore oppor-
tuno ad superiorem recursum fecissent, tunc enim neque Obsonator per tanti tempo-
ris spatium in suo delicto mansisset, neque Venditores tantum damni passi fuissent;
quapropter si per mærum innanem, nempe ut ipsi dicunt = *Per non disgiungere F.
C. B.* = & ut ego melius dicam ut magis, ac magis lucrarentur ex venditione
aliarum rerum ipsi Obsonatori facta, ejus Superiori Debita non manifestarunt, ip-
sis non erit succurrendum, ne dicatur, negligentiam & moram culpabilem, (ne
dicam Ambitionem) præmium mereri; si præfentis Creditores credebant Obsonato-
rem cum Monasterii consensu ad Creditum emere (ut nisi supponunt) non debebat
eis timor displicentiæ Obsonatoris incuti, ratione cujus eorum Apothecam ipse de-
linqueret, immò potius quia agebatur de re, ex qua ejus ingenuitas, & bonæ fa-
mæ integritas cognosceretur, ipsum eorum Apothecas requentaturum sperandum

4
 erat; Dicatur igitur ipsos in mala fide, & Debitorum Obfonatoris conscios fuisse, cum spe tamèn futuxe solutionis, & propterea condemnandos esse.
 Si Tutor alicujus Pupili, cui a Judice fuit concessa facultas, ut ser. Solemnitatibus rem aliquam alienare; pro ejusdem Pupilli alimonia, Cibaria emendo non solvat, sed pecunias ex Venditione habitas dilapidet damnum Cibaria Vendentis est, non autèm Pupilli, quamvis reperiatur Tutorem in Bonis non habere per tradita a
De Luca de Cred. disc. 82. num. 2. Favet etiàm Juris regula, quam nemo inficiari poterit, nempe Dolus Tutoris in eo, quo Pupillus locupletior factus non est, ei nocere non potest. *l. nec. ff. de reg. jur.*, sive solvendo Tutor sit, sive non sit, nam in nullo casu Dolus Tutoris Pupillo obesse potest. *Olea de ces. jur. & act. tit. 5. quæst. 11. num. 18.* Ex bonis Pupilli prærium pro Cibariis emptis semel, non bis solvendum est, Venditor eum quomoddò, & cum quo contrahebat, cogitare debuit, Idem affirmandum venit in nostro casu, nam Minor, & Religio in Privilegiis potiendis equiparantur. *Odd. de rest. in integ. quæst. 3. art. 10. multis in numeris, De Luca de cred. disc. 17. n. 8., Rot. rec. par. 5. dec. 447. num. 26.* cujus verba sunt *Communitas diverso Jure censeri non debet, quam Minor, & in dubio dicerem ego,* potius Communitati quàm Minori succurrendum esse, nam iste facto majori sibi consulere potest, Communitas verò, utpotè sub necessaria Administratione illius, cujus ejus Bona non sunt, non tam de facili remedium damnorum invenire potest. Siquidem quod commune est, communiter negligi solet. *Mantiff. de jur. Burg. cap. l. nu. 705. Scarfanton. par. 2. lib. 4. tit. 16. num. 82.* Idem argumentum fieri poterat de Administratore Civitatis, & aliis similibus, isti enim ultra id, in quo positi sunt Communitati damnificare non possunt. *De Luca de Cred. disc. 82.*

Actioni de in rem versò in presentem non est locus, Fundamentum prædictæ Actionis constituitur in locupletatione, seu versione in utilitatem. *De Luca de donat. disc. 43. num. 4., Merlin. dec. 533. num. 25., Ortohon. dec. 40. num. 46.* deficiente lu cro, deficit & prædicta actio. *l. pro patre §. 6., & 7. ff. de in rem verso. De Luca, ubi supra num. 5.,* unde cum necque probatum sit, neque a præsentis Creditoribus probari possit, RR, PP, ex Olei consumptione aliquod lucrum sensisse, dicendum erit actioni de in rem verso locum non esse; Non probata concludentèr, & plenissimè versione in Monasterii utilitatem, istud actione de in rem versò conveniri non potest. *Rot. rec. part. 1. dec. 301., par. 3. dec. 310. par. 12. dec. 272. num. 1.,* ubi cetera magna Textuum, Autorum, & Decisionum videri potest; Est enim versio in Monasterii utilitatem requisitum necessarium ad effectum acquirendi prædictam actionem contra eum. *Rot. ubi supra num. 9.* Locupletior autèm quis fit ex consumptione rei in proprios utiles, vel necessarios usus prætio non solum per tradita a *De Luca de benefic. disc. 83. nu. 1* Igitur si Monasterium non solum pecuniam præ Oleo emendo singulis Hebdomadi Obfonatori exbursavit, verùm etiàm exuberantèr præ aliis rebus Monasterio necessariis. *Proc. fol. 35. ad 42.* ubi habentur Partitæ constituentes Summam Scutorum 2000., quæ ad effectum impendendi Obfonatori fuerunt designata ab Anno 1709, usque ad Annum 1713, in quo illius Officium cessavit, ab ipsoque Obfonatore in redenda ratione, totum Oleum qualibet in partita solutum fuit appositum, prout *Proc. fol. 43. ad 48.* igitur inquàm absolvi debet, cum semel, non bis debita pro Cibariis emptis solvere debeat. *Valenzuela conf. 183., Ric. par. 7. collect. 2775.*

Actione Mandati, seu de Jussu similiter locus non adest. Hac enim actione Mandans non obligatur, dum Mandatarius extrà sibi commissa delinquit *l. cuicumque §. 1. ff. de instit. act. Non tamen omne (ait Vulpianus) quod cum Institute geritur obligat eum, qui preposuit, sed ità si ejus rei gratia, cui prepositus fuerit contractum est, idest duntaxat ad id, quod eum preposuit =* In glosa hujus §. sic loquitur Gotsfred. Dominus tenetur ex Contractu Initoris circa id, ad quod præpositus est expressè, vel tacitè, nisi fortè præpositioni renugnet. Ad concludentem autem inferendum ex prædicta Legge,
 &

5
& glosa a⁵ctioni mandati, seu de jussu in nostro casu locum esse non posse, præ oculis habenda est Monasterii Constitutio modum impendendi Obsonatori præscribens, nempe *cum pecuniis a Depositario sibi traditis*. Fuit enim F. C. B. a Conventu Præceptum, seu Mandatum attenda prædicta Constitutione ut Oleum cum pecunia manuali tradita emeret, & non aliter, undè emendo ad Creditum fines Mandati tam expressi, quam taciti excessit; Repugnat, Religiosum habere Mandatum in his, quæ a Monasterii Regulis prohibentur. *Rota rec. par. 12. dec. 272. num. 4.* Dum agitur de re Monasterii, aut Ecclesiæ Mandatum ulteriori forma, quam traditum est exerceri non potest, & si exerceatur nullam inducit obligationem. *Valenzuela conf. 2. num. 42.*, ubi plures alii ab ipso citati videri possunt. Ex his igitur inferendum est, quod si Monasterii Obsonator, absque pecunia manuali emendo fines Mandati excessit, & Mandatarius dumtaxat ad id, quod mandavit tenetur, a⁵ctioni mandati, seu de jussu locum non esse. Adjungendo Monasterii Constitutionem ab Obsonatore violatam inveniri, & propterea Monasterium nullum præjudicium sentire debere. *De Luca de Cred. disc. 46 num. 15.*

Urgetur, & corroboratur hæc nostra ratio, Creditori præ Contractu inito cum Religioso omnis actio contra Monasterium denegatur, dum Religiosus extra modum solitum, & consuetum Religionis contrahit *Mantica de tac. lib. 8. tit. 15. Rot. rec. par. 12. dec. 272. n. 8. & 11.* Monasterium autem de quo in presenti Cibaria ad Creditum emere non solet, immò potius si aliquando pecuniæ defecerunt, ne ad Creditum Obsonator emeret, Cibariorum Venditoribus Fundum consignarunt, ut ex fructibus percipiendis solutionem sibi metipsis facerent.

Mandati prorogatio ad emendum ad Creditum præsumi non potest, nam ut hujusmodi præsumptioni locus sit, aliquod mandantis factum requiritur, ex quo ejus approbatio colligatur. *Rot. rec. par. 11. dec. 154. num. 2. & 3. par. 12. dec. 118. num. 16. & dec. 183. num. 21.* quod factum in nostro casu non datur, siquidem immediate, ac Debitorum Obsonatoris RR. PP. conscii facti fuerunt, eum ab Officio removerent, & carcerarunt.

Sufficiat in favorem Conventus allegare Doctrinam de *Luc. de Cred. disc. 55. num. 3.* nempe Debitori sufficere solvere illi, quem in eju⁵ Creditorem cognovit, sive filius familias ille sit, sive Administrator, aut aliàs nor Dominus RR. autem PP. Creditores non agnoverunt Ce. & Ca. siquidem inscò Monasterio eorum Apothea a F. C. B. præ suo libitu fuit electa, hunc tantum Monasterium Creditorem agnovit, qui Oleum, & alia necessaria PP. deferebat; Igitur si ut superius probatum manet RR. PP. Obsonatori pro Oleo emendo pecunias exburstarunt, clare constat, ad solutionem iterandam non teneri, & principalitè cum sumis in casu obligationem aut liberationem inducendi; Judices in hoc casu propensiores esse debent ad liberandum, quam ad condemnandum *l. 47. de obl. & act.*

Partis adversæ Fundamenta non debent, neque possunt animum vestrum inducere ad proferendam Sententiam in favorem prætenso⁵rum Creditorum.

Illam enim verba *per Oglia spefo &c.* non se referunt id tempus exburstationis pecuniæ, siquidem, ut ex dictis constat ante Olei emptionem fuerunt Obsonatori ad necessaria emenda exuberanter consignatæ pecuniæ, se referunt illa verba ad tempus supp⁵stationis de pecuniis ab Obsonatore receptis, & e earum redditione rationis.

Ex Secundo fundamento potius damnum, quam utilitas Creditorum eruitur; Concesso Libris Venditorum licentiatas fidem publicam adhibendam esse, negari non potest et Monasterii Libris similem fidem præstandam esse. *Rot. Rec. par. 19. dec. 116. num. 9., De Comit. dec. Flor. 28. num. 53., & 54.* i autem aliqua discrepantiã inter hos, & illos datur, potius in favorem horum, quam illorum stare debemus, minds enim de fide, & veritate RR. PP. dubitandum est, quam de assertionem Ce. & Ca. si quidem de Communitate Religiosa non tam facile malè judicandum est; sufficit præ Monasterio, ex ejus Libris Oleum solutum: se constare, ex qualibet enim

partita in ipsis ad computum apposita solutio præfinitur per tradita a *Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1318. num. 21., & concl. 1319. num. 5.*

Tertium non subsistit, nam superius sufficienter probatum manet Monasterium Obsonatori sufficientem pecuniam quantitatem consignasse, cum qua non tantum Oleum, verum etiam cætera Monasterio ad victum necessaria emere posset.

Rationibus in quarto loco adductis dicere poteram ad nihil deservire illam particularem reflexionem, sub nominis *Obsonator* significatione; Quilibet terminus, seu dictio debet intelligi secundum subjectam materiam; significatio Nominis *Obsonator* in presenti a regulis, & Constitutionibus Monasterii desumi debet, nam observantia Regulæ Monasterii est optima interpretes, & interpretationum Regina, eique deferendum est, adeo ut Verborum proprietati ipsa prævaleat. *De Luca de Regul. disc. 54. num. 5.* quapropter non absoluta, sed restrictiva in presenti est significatio Nominis *Obsonator*, si Monasterii Constitutio consideretur. Quis autem dubitat, Constitutiones, & Religionum Leges esse tanti momenti, ut Contractus ab earum Ministris cum Extraneis contra ipsas celebratos claudicare faciant, qui hoc ignoret videat *Bich. dec. 599. num. 7., Rot. rec. part. 14. dec. 42. num. 3., & 4.,* his in Decisionibus inveniet Contractum contra Monasterii Statuta celebratum ipso Jure esse nullum, Sunt enim verba *Bich.* ubi supra. Tenetur unusquisque scire quomodo, & cum quo contrahat, & in terminis nostri casus, nempe contrahentis cum Mandatario, seu Ministro. *Paul. Castr. in l. 1. §. Non autem de exercit. act.*

Concesso Monasterii Constitutiones, data earum ignorantia Contractus contra ipsas celebratos non annullare (quod falsum est) adhuc præ nullitate emptionis firmiter standum erit, nam præteriti Creditores tanquam conscii Monasterii Constitutionis modum impendi *Obsonatori* præscribentis haberi debent, nam dum quis investigando potest de facili certiorari, præ sciente habetur. *Alto grad. cons. 71. num. 32., & seq. lib. 1.* Quod autem impedimentum aderat, ut ipsi Creditores a Rev. Superiore, seu alio Ministro inquirerent ad quæ se extendebat *Obsonatoris* facultas? Inultum præter eorum negligentiam, vel ipem magis, ac magis lucrandi invenio.

Ex Doctrina *De Luca de Regul. disc. 60. num. 8.* nihil nobis contrarium inferri potest; Ibi præcitatus Author dicit prohibitionem, aut inhibitionem alicui Conventui factam ad omnes illius Ordinis Conventus extendi non posse, & si alicui Religioni, illam prohibitionem omnes Religiones non tangere, ut videre poterit *num. 7.* Quomodo igitur ex hac Doctrina deduci poterit, Religionum Regulas annullandi vim Contractus contra ipsas celebratos non habere?

Ex l. *Quidam fundum ff. de in rem verso*, nihil contra Conventum deduci potest; Hac enim in Lege determinatur, Iominum præ secundis Bovibus a Servo emptis actione de in rem verso non teneri nisi quid amplioris pecunie in ipsis reperiretur; igitur, neque RR. PP. hac actione conveniri poterunt, nisi probetur, pecunia antecederet *Obsonatori* non cognata, Oleum consumpsisse. Ex eo autem, quod relatum in prædicta Lege, actione de jussu secundum glossam esset conveniendus, non evincitur, & etiam Monasterium simili actione conveniri posse. Non tenet Argumentum, & in terminis prædictis hujus Actionis, de particulari ad Communitatem, Tenetur multoties hac actione Particularis pro Delicto, & culpa Mandatarii, non autem Communitas. *Rot. rec. ar. 12. decif. 272., & par. 15. dec. 227. num. 6.,* cumque *Obsonator* deliquerit excidendo sibi mandata, Monasterium actione Mandatarii conveniri non potest.

Ad quid deservit allegare alias Communitates ad Creditum emere? Non tenet argumentum, ille facit, ergo & ego facere debeo; præterquam quod retorqueri potest argumentum. Sunt alia conspicua Communitates, a quibus earum *Obsonatoribus* prohibetur ad Creditum emere, quia antecederet Pecuniam eis consignant, & si isti Debita contrahant, ea non solvunt, ergo idem affirmandum erit de nostra Communitate. RR. PP. admodum placet consilium D. Ex adverso, scilicet, ut nunc sal-

vant,

7

vant, ne in indigentis Benefactores non inveniunt, ceterum hæc tam conspicua
Communitas non indiget Consultoribus, qui suæ utilitati prospiciant. Scit illa qui-
bus in casibus intret illa politica ratio.

Pro excludenda actione de in rem versò satis dictum manet. Quamvis concedatur actio-
nem furti Monasterio contra F. C. B. competere, non inferitur, hoc ad iteratam solu-
tionem teneri; multoties Res perit non in damnum illius, cui actio furti competit,
sed alterius, ut videtur in Venditore habita fide de prætio; si tunc res ante ejus tra-
ditionem pereat, non Venditori, sed emptori perit §. 4. *Inst. de emp. & vend.* non
obstante quod actio furti primo, non autem secundo competat, eodem §. in fine.
Sequenti autem consideratione hoc magis patefiet, si Tutor mala fide, & dolose di-
strahat, certum est actionem Furti Pupillo contra eum competere, & tamen Pupil-
lus de evictione non tenetur, quamvis Tutor solvendo non sit *Olea de cess. Jur. &
act. tit. 5. q. 11.* diversis in numeris. Erat enim ad hoc necessarium, ut Pupillus lo-
cupletior factus fuisset. Igitur si Communitates, & Pupilli in potentiis Privilegiis
æquiparantur, quæmadmodum Res a Tutore mala fide distracta, in damnum Pupil-
li non perit, non obstante, quod ei competat actio furti, ita neque ex prædicta
ratione deduci potest RR. PP. ad solutionem iterandam teneri.

Paritas de Abate distrahente Pannum pro vestiendis PP. emptum deducta ex *Paulo
Castr. in l. 1. §. non autem ff. de exercit. act.* fundat, & solidat a nobis asserta; di-
cit ibi Paulus Ecclesiam, seu Monasterium teneri pro mutuo Abati facto, ut pro
vestiendis Eratribus Pannum emeret, quamvis non emat, & pecunias dilapidet.
Ceterum non diminuantur veritates, adjungatur prædictæ propositioni, quod ipse
adjungit; Tunc Monasterium tenetur, ait præcitus Author, quando Prelatus cum
facultate a Conventu sibi data pecunias in mutuum pro vestiendis Religiosis accepit,
quod etiam in nostro casu ego dicerem, si Monasterii Consensus præcessisset.
Confirmat ipse Paulus nostrum assertum, loco citato dicit se defendisse quemdam
Mercatorem Venetum, qui habebat quemdam Institorem Bononiæ, qui quidem
Institor recepit mutuum, ut solveret Debitum Bononiæ Legato, qui cum eo aporis
erat, mutuans autem pro sua securitate, & mutu solutione fecit capi dictum Ven-
etum, cum Bononiam pervenisset, defendit Paulus non teneri ad solutionem, quia
ad mutuum recipiendum Venetus Institorem non præposuit, mutuans enim investi-
gare debuit ad quæ mandatum se extendebat. Dicere Monasterium teneri ad, Æs
alienum Monachi contrahentis, aut delinquentis sine ulla & Monasterii scientia uti-
litate, ac voluntate, proût asserit D. exadversò, est propositio in Jure nova, neque
tale quid affirmat Abb. & alii relati a D. exadversò nec inveni dicentem, immò
potius dico, inveniri non posse.

In favorem Ce. & Ca. non facit Doctrina Gomez ab omnibus communiter recepta, pri-
mò quia hæc intelligitur de eo, qui post contractum innitum remansit verus Debi-
tor, Conventus autem post Oleum emptum, & non solum non remansit Debitor,
neque unquam talis fuit, nisi illo in brevissimo temporis intervallo, quod necessariò
inter Olei traditionem & pecuniæ solutionem intercedere debebat; dum pecuniæ
ab Obsonatore fuerunt ante Olei emptionem dilapidatæ, Contractus ipso jure fuit
nullus juxta tradita a *Serafin. dec. 781.* si autem post Contractum emptionis ipse pe-
cuniæ in extraneos a fine usus fuerunt conversæ, expiravit Conventus obligatio;
Istaque non est cavilario, sed est doctrina clarissima, nam si consumpta pecunia
Oleum emit, voluntariè contra Monasterii mentem, & Constitutiones Obsonator
operatus fuit, & consequenter nullam Monasterio induxit obligationem; si verò post
emptionem celebratam pecunias consumpsit, Monasterium seclusa locupletatione ad
nihil tenetur, nam Religio, de Religiosi doli, *Religiosi doli, Religiosi doli* sentio
non debet. Quod autem F. C. B. minus idoneus tractu temporis factus fuerit, Con-
ventui non est imputandum, cum hoc tantum præteritis Creditoribus notum esse
potuerit, proût mihi præsumendum videtur ratione eorum morè, & negligentia in
petendo sibi Debita.

Secun-

Secundò Doctrina Gomez procedit, dum Creditor fidem non habuit de Ministro Debitoris, sed de ejus Principali C. autem, & Ca. fidem habuerunt de Obsonatore, ut colligitur ex responsione ab ipsis data *Proc. fol. 78.* Interrogati cur ad Monasterii Superiorem recursum non fecerint, ut sibi metipsis fuisset satisfactum, responderunt *per timore di non disgustare F. C. B.* Prudentialiter loquendo est impossibile prætensos Creditores confisos non fuisse, vel ad minùs magnopere non dubitasse de mala fide Obsonatoris, in primis quia in principio sui Officii, ut ex facto constat, ultra Debitum pecunias eis exbursabat, deindè quia non erat verisimile Monasterium ingentem pecuniæ summam solvens, velle manere Debitorem *Lir. 514.* undè cognoscebant ipsi malam fidem Obsonatoris.

Motivum autèm ne fides publica violetur, & ut faciliùs Communitates Benefactores inveniant, non est applicabile nostrò calui, videatur *De Luca de Cred. disc. 82.*

Ultimò loco adductum est a cognitione causæ totaliter diversum. Cardinalis de Luca *disc. 82.* superiùs rellato refert, se in causa ibi agitata consilium ad concordiam dedisse, non antè ait, Religiosos absque scandalo cum Secularibus litigare non posse.

Hoc Consilium in presenti manet inapplicabile. In Causa ibi rellata Debitum fuerat ritè, & rectè per Monasterium contractum intervenientibus Juris Solemnitatibus, & propterea asserit de Luca Scandalosam esse illam Controversiam, in præsentì autèm, agitur de Debito non per Monasterium, sed per ejus Officialem contra ipsius voluntatem, & Constitutiones celebrato; Undè ad quid illa tacita scandali imputatio RR. PP. extra propositum facta? poterat D. exadversò Veniens mitiùs cum eis agere, siquidem exemplar totius Civitatis omnibus in suis Actionibus se manifestant.

Quapropter &c. salvo semper &c.

**D. Alfonso Garrido J. C. D. hujus Un. L. P.
S. S. Inquisitionis Consultor, Reg., & Major.
Coll. S. Clem. Coll.--obtentà ejusdem licentia.**

Vidit D. Franciscus Aloysius Barelli Cleric. Regul. S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnit., SS. Inquisit. Consultor, præ Eminentiss., & Reverendiss. D. D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, & Sac. Rom. Imp. Principe.

10. Martii 1724.

Imprimatur.

F. Th. M. Caneti Provic. S. Offic. Bonon.

Bononiæ Typis Bianchi, ad Vexillum Rose, propè Archigymnasium. (1724.)
Superiorum permisso.